

sica, quam Deus tribuat voluntati in prima volitione, seu intentione finis, sed in inclinatione naturali, vel cogitatione prævia, vel instinctu alicujus causæ superioris; quæ ratio locum habet, sive intentio finis sit ex motione prædeterminante, sive non sit, ut est verius; quia nec inclinatio naturalis, nec cogitatio prævia, seu instinctus est prævius concursus prædeterminans voluntatem, ut per se notum est; unde si talis intentio vel volitio finis sit omnino necessaria, etiam quoad exercitium, ut est in patria, ad illam est satis determinata voluntas per innatam inclinationem suam, et charitatis; si vero sit aliquo modo libera, eo ipso includit aliquam determinationem voluntatis se applicantis ad hanc partem potius quam ad illam, per aliquale consilium formale, vel virtuale, et ideo (ut D. Thomas dixit) necesse non est illam determinationem esse ab aliquo extrinseco agente.

## CAPUT XLV.

EX CONCURSU DEI AD ACTUS QUI SUNT PECCATA, PECULIARI RATIONE SUPERIOR DOCTRINA COMPROBATUR.

1. *Status questionis.* — Supponimus actus peccatorum, prout actus sunt, non minus dependere a generali concursu physico primæ causæ, quam actus bonos, in quo defensores utriusque sententiæ conveniunt. Ex quo ulterius infertur, si ad actus malos, prout actus sunt (ita enim de illis tractamus, ne sit necessarium declarationem semper repetere), non est necessaria prævia motio determinans Dei, nec ad alios actus liberos ordinis saltem naturalis esse necessariam. Quam etiam illationem necesse est omnes admittere, quia si causa secunda essentialiter postulat illam præviā motionem ex generali ratione concursus, ad omnem actionem realem causæ secundæ erit necessaria, sive defectum aliunde habeat ad junctum, sive non habeat, quia defectus concomitans entitatem actionis, ut procedentis a voluntate, posterius quid est, et supponit in actione entitatem participatam et consequenter essentialiter dependentem a prima causa. Quidquid ergo fuerit de intrinseca ratione hujus essentialis dependentiæ, inveniatur etiam in actione peccati, et e contrario illa motio Dei, sine qua talis actus fieri potest, non est de essentia generalis concursus in cæteris actibus. Propter quam rationem fere omnes moderni, qui prævium influxum in causam dicunt esse de ratione essentialis dependentiæ

in agendo, quam causa secunda habet a prima, consequenter fatentur Deum præmovere, et prædeterminare voluntates humanas ad actiones peccatorum. Si qui autem eorum in aliis actionibus putant illam prædeterminationem esse necessariam ex vi generalis concursus, et negant illam in actibus malis, quoad eorum realitates, profecto consequenter non loquuntur. Unde etiam Gregorius et Capreolus, quia motionem illam requirunt ad actus bonos et negant in malis, negant illam pertinere ad concursum generalem, sed ad speciale auxilium gratiæ in natura lapsa necessarium ad bene operandum, de quo in libro 1 visum est.

2. *Prima ratio ad præviā motionem et prædeterminationem tollendam.* — Nos autem ex contrario principio sic argumentamur: causa prima sufficienter concurrat cum causa secunda ad actus reales peccatorum, et tamen non præmovet determinando illam ad actum peccati; ergo talis motio non est de necessitate divini concursus generalis, etiam respectu causæ liberæ, et consequenter, quantum est ex parte Dei, etiam ad actus bonos poterit libera voluntas se determinare cum solo concursu simultaneo sive prævio. Minorem, in qua est difficultas, late probavi in libro 3 de Auxiliis. Postea vero moderni scriptores de eodem argumento, omni conatu et argumentorum genere, conati sunt persuadere Deum præmovere homines ad actus peccatorum, eorum voluntates efficienter ad illos prædeterminando. Et ad nostra argumenta in summa respondent concedendo omnia quæ ex illo dogmate nos inferimus, uno excepto, nimirum Deum esse causam peccati: hoc enim negant sequi ex illa prædeterminatione, magis quam ex simultaneo concursu; putant eandem esse utriusque rationem, quia actus materialis seu realis voluntatis humanæ non habet quod sit peccatum, ex habitudine ad voluntatem Dei, sive præmoventem seu prædeterminantem, sive simultanee concurrentem, sed ex habitudine ad voluntatem humanam deficientem, cujus defectus Deus non est causa, et ideo quomodocumque concurrat vel præmoveat, nunquam est causa peccati. Et ita eludunt omnia testimonia Scripturæ et Patrum. Alia vero inconvenientia quæ nos inferimus, facile devorant, ut, quod Deus faciat nos facere hæc opera, quod absoluta voluntate voluerit ex æternitate nos velle illa, priusquam præviderit determinationem nostram, et quod talia opera

sint per se intenta ac proinde prædestinata a Deo. Quapropter nihil fere nobis superest addendum, eadem autem repetere supervacaneum videri potest. Nihilominus tamen, quia res est gravissima, et judicio ac definitione Ecclesiæ dignissima, non gravabor vim aliquarum rationum pressius urgere, et nonnullas responseones accuratius ponderare, ut unusquisque vir prudens et doctus, nullo affectu privatæ opinionis præoccupatus, quid sit magis consentaneum divinæ bonitati, et Scripturis sanctis, et communi Ecclesiæ sensui judicare possit, dum infallibile Ecclesiæ iudicium non interponitur.

3. *Explicatur questio subjecto exemplo hominis deliberantis an peccato consentire debeat. In illo momento non debetur illi determinatio potius ad consensum quam ad dissensum ex natura voluntatis.* — Ut autem sensum meum et rationem, qua convincor, explicem, coram oculis mentis constituo hominem deliberantem an consentire debeat peccato, necne, et de se liberum et aptum ad consentiendum, vel ad hanc dispositionem sufficienti auxilio Dei actu præventum. Et interrogo an in illo puncto et momento, in quo voluntas hominis, prius natura quam a Deo prædeterminetur, est ad utrumque indifferens, debeatur illi determinatio ad consensum, magis quam ad dissensum, eo utique modo quo generalis concursus est illi ad operandum debitus, id est, an ex se talis voluntas postulet magis determinari ad consensum quam ad dissensum, vel ad utrumque prorsus sit indifferens. Primum enim non videtur verisimile, quia nulla ratio dari posse videtur, cur magis postulet aut mereatur debitam sibi fieri determinationem ad consensum, quam ad dissensum. Quia ex sola natura voluntatis liberæ hoc non postulatur; imo quia talis voluntas, licet sit indifferens, magis ac perfectius inclinatur ad honestum quam ad quodcumque aliud bonum repugnans honestati, quantum est ex se, magis quodam modo postulat determinationem ad dissensum illi; ergo ex vi solius innatæ inclinationis cum indifferentia nec debetur illi determinatio ad talem consensum pravum, nec de se illam postulat.

4. *Neque ex aliquo voluntati superaddito.* — Deinde neque per aliquid additum huic naturali libertati et inclinationi, postulat homo, aut fecit sibi debitam talem determinationem, quia vel illud additum est aliqua culpa, vel est aliqua infirmitas, seu defectus aliquis quem homo patitur sine culpa: neutrum dici potest;

ergo nullo modo potest reddi talis ratio ex parte hominis. Consequentia evidens est ex sufficienti partitione posita in majori, per membra immediate et contradictorie opposita. Minor autem quoad priorem partem etiam est certa, quia, licet homo peccando mereri possit privationem divini auxilii, aut aliam similem desertionem, nunquam tamen mereri potest ut directe ad actum peccati a Deo ipso inducatur, juxta communem doctrinam Sanctorum et Theologorum, quam nunc suppono. Et esto esset verum aut tolerabile dicere, posse peccatorem id aliquando mereri, nihilominus certum est etiam tunc illam motionem non pertinere ad generalem concursum debitum causæ liberæ, sed ad specialem poenam quam Deus vellet in eo casu inferre. Unde si qui Doctores videntur in aliquo casu id admittere, non dicunt illum esse ordinarium modum operandi Dei cum peccatoribus, sed esse rarum et extraordinarium, quando multa et ingentia peccata præcesserunt. Ut autem sit res evidentior, et extra omnem controversiam, loquamur de primo peccato, et de illo puncto in quo homo deliberat de illo vitando vel committendo; nam tunc non potest ratio determinationis sumi ex priori culpa, cum nulla præcesserit, nisi forte quis dicat sumi ex peccato originali, quod per se improbable est, præsertim ubi peccatum illud jam fuerit remissum. Verum tamen ut omne subterfugium tollatur, loquamur de primo peccato Adæ vel Angeli; in illo enim fingi non potest quod prædeterminatio ad talem consensum orta fuerit ex merito ratione prioris culpæ, cum nulla præcesserit.

5. *Quod amplius probatur.* — Superest videntur de altero membro, forte si dicatur defectum aliquem, præcedentem in homine prius natura vel tempore immediato ante instans in quo peccat, esse rationem ob quam homini debetur talis prædeterminatio ad consensum, potius quam ad dissensum, vel saltem esse rationem ob quam homo, quantum est ex se, magis illam determinationem postulet, quam aliam. Nam imprimis longe probabilius est voluntatem liberam, quomodocumque toto tempore antecedente ad instans consensus affecta est, nullam determinationem ab extrinseco agente postulare, quæ ordine causalitatis et naturæ suam determinationem et efficientiam præcedat. Nam etiamsi demus, vel permittamus voluntatem esse capacem illius prædeterminationis, salvo usu libertatis, et expectare illam a causa prima propter subordinationem, adhuc negari non potest quin in illo instanti

in quo voluntas consentit, prius natura quam operetur, non obstante quocumque defectu involuntario antecedente, sit capax duplicis determinationis disjunctive, scilicet, vel ad consensum, vel ad dissensum, quia alias nullo modo esset tunc voluntas potens ad utrumlibet actum sub disjunctione, quia neque proxime fit, in casu sola esset potens ad aliquem illorum, neque remote et media prædeterminatione esset potens ad utrumque, si unius tantum prædeterminationis esset capax; necesse est ergo fateri esse in eo momento voluntatem capacem duplicis determinationis.

6. *Explicatur magis non deberi hanc prædeterminationem illi voluntati.* — Unde ulterius fit, in casu posito voluntatem non postulare determinationem ad consensum ab extrinseco accipiendam, vel ex debito, vel ex congruitate aliqua, quæ ob præcedentem defectum inculpabilem ex parte hominis considerari possit. Quia imprimis debitum illud non potest esse morale, quia nullus usus liber præcessit in quo fundetur moralitas, nec physicum, seu connaturalitatis, prout debetur naturalis proprietatis unicuique rei, quia illa capacitas, respectu prædeterminationis dandæ per prævium concursum, solum est potentia quædam receptiva utriusque determinationis, et alterutram natura sua postulans; ergo neutra determinatio est illi debita debito physico, seu connaturalitatis, nec defectus antecedens facit illam debitam, cum, etiam posito illo defectu, et in sensu composito (ut sic dicam), adhuc maneat capacitas illa indifferens de se, ut probatum est. Item, quia alias imperfectio illa antecedens esset quasi dispositio ultima ipsius voluntatis limitans capacitatem ejus ad talem prædeterminationem, et secundum naturalem ordinem ac secluso miraculo necessitans ad talem prædeterminationem recipiendam, potius quam aliam, sicut ultima dispositio corporis humani necessitat suo modo ad creationem animæ. Alias, posita illa prædeterminatione, cum illa etiam necessitat ad consensum in sensu utique composito, respectu illius consensus in peccato necessaria et physica connexionem causarum antecedentium omnem usum libertatis præveniret, quod quantum denegat humanæ libertati, quantumque excusare valeat lapsus humanæ voluntatis, facile intelliget quicumque attentam mente et puro affectu rem consideraverit. Igitur ex parte hominis nulla ratio debiti considerari potest, ob quam talis prædeterminatio potius quam alia debeatur. Nec etiam fingi potest cum funda-

mento ratio congruitatis, quia (ut dixi) potentia de se magis postulat et naturaliter appetit quod illi melius est. Aliunde vero imperfectio antecedens est involuntaria et inculpabilis, ut supponitur; ergo non inducit congruitatem moralem, nec etiam physicam, cum illa imperfectio non excludat perfectionem sufficientem ad vitandum illum consensum per dissensum, vel per suspensionem actus cujus est etiam intrinsece capax ipsa voluntas.

7. *Rejicitur instantia.* — Dicitur fortasse hominem, in eo instanti in quo consentit in objectum pravum, licet prius natura sit capax utriusque determinationis, semper tamen supponi jam inclinatum, et magis propensum ad consensum, et ideo si non ex debito, saltem ex quadam congruitate, ad consensum potius determinari quam ad dissensum. At hoc etiam facile refutatur. Primo, quia gratis id dicitur ac supponitur, quia licet id contingat quando peccatur ex passione vel consuetudine, tamen in peccatis mere spontaneis fieri potest, ut ante determinationem ad unam partem non sit homo magis propensus ad alterutram, sed quasi pendens in utramque, ut statim magis explicabitur. Secundo, esto ita esset, quæ congruentia inde nascitur, ob quam homo magis debeat determinari ad consensum quam ad dissensum? Imo vero cum illa major propensio, si qua est, oriatur vel ex infirmitate, vel ex inconsideratione nondum voluntaria, profecto congruentius est ut juvetur infirmitas, vel excitetur consideratio, quam ut deficiat voluntas per divinam præmotionem.

8. *Idem tertio confirmatur.* — Unde argumentor tertio in hunc modum, quia ille defectus, qui antecedit consensum malum, vel est ex parte appetitus aut pravi habitus, et hæc accidentia sunt, et ut hæc de medio tollantur, loquamur de primo homine in statu innocentie, in quo ante peccatum nullus talis defectus præcessit: vel est ex parte intellectus, ut si dicatur consistere in prævia cogitatione vel consideratione pravi objecti, cum remissa consideratione honestatis, vel in alio simili actu, vel ejus omissione, et in hoc etiam nulla potest fundari congruitas, quia homo vel Angelus sic dispositus adhuc erat de se æque potens ad non consentiendum, vel directe dissentiendo, vel saltem applicando intellectum ad meliorem considerationem. Ergo ex illa dispositione nulla nascitur ratio aut congruitas ob quam Adam fuerit potius determinatus a Deo ad consensum, quam ad dissensum vel ad volendum melius de re sibi proposita conside-

rare, et postea media consideratione determinari ad dissentiendum. Denique homo quando, per suggestionem dæmonis, habet vivam considerationem pravi objecti, nulla congruitas inde nascitur, ut Deus impediat voluntatem hominis ne intellectum ad contrariam vel meliorem considerationem applicet, id enim esset partes dæmonis tenere, seu juvare; ergo multo minus potest inde nasci congruitas ut Deus prædeterminet statim voluntatem hominis, verbi gratia, Adami sic a Dæmone tentati, ad consensum, quia nullo efficaciori modo poterat meliorem considerationem impedire, quam dejiciendo statim voluntatem in consensum.

9. *Ex his sequitur Deum pro sua sola voluntate determinare creaturam ad consensum peccati.* — Relinquitur ergo in hujusmodi eventu nullam rationem posse reddi ex parte hominis, ob quam magis prædeterminet ad consensum, vel dissensum, ac proinde Deum pro sua sola voluntate id facere, non quia id exigat (ut sic dicam) munus causæ primæ, nam æque bene vel melius illud expleret determinando voluntatem hominis ad dissensum, sed solum pro suo beneplacito, quia vult tali modo illi homini providere, et non alio. Quod totum, ut opinor, facile concedent contrariæ sententiæ defensores; nam ita loqui solent de prædeterminatione ad bonum, non tantum supernaturale, sed etiam morale ordinis naturalis; consequenter autem idem est de prædeterminatione ad consensum in objectum pravum; nam est eadem ratio, ut declaravi. Illud autem dogma, per se spectatum sine aliis argumentis, videtur nobis indignum divina bonitate et sapientia. Nullus enim homo prudens, sapiens ac bonus, qui possit alium hominem, in eo discrimine constitutum, ad honestum potius quam ad delectabile inclinare, eum in posteriorem partem moveret. Quis ergo credat Deum, qui ex vi universalis muneris primæ causæ æque potest prædeterminare illum hominem ad dissensum et consensum, ex se et nulla accepta occasione ex parte ipsius hominis, potius ad delectabile objectum, quam honestum, non solum inclinet aut moveat, sed etiam prædeterminet? Quibus verbis semper utor, et nomen peccati fugio, ne occasionem præbeam eludendi rationem, per vulgarem distinctionem de formali et materiali peccati; nunc enim nihil de formali malitia loquor, sed de substrato illius; necessarium autem est distincte concipere et explicare quod sit illud substratum, seu materiale peccati, ut ponderari possit quam sit dissidentium divinæ sapientiæ et bonitati, ex se, et

solo beneplacito suo, eligere ac velle determinare voluntatem hominis ad volenda delectabilia, potius quam honesta, sine occasione ex parte hominis, solum suo arbitrio, et præter alia consilia voluntatis suæ, ac si essent Deo necessarii homines impii.

## CAPUT XLVI.

DEDUCENDO AD VARIA INCOMMODA EADEM DOCTRINA COMPROBATUR.

1. *Primum absurdum: nulla reddi poterit ratio propter quam Deus peccatum potius permittat quam impediat.* — Possumus præterea falsitatem hujus sententiæ multis modis, et absurdis quæ ex illa sequuntur, declarare. Primum sit, quia alias nullam rationem moralem possumus reddere, ob quam Deus peccatum potius permittat quam impediat. Sequelam declaro, quia licet multæ rationes dari soleant sumptæ ex finibus extrinsecis (quia Deus ex peccatis sumit occasionem majora bona faciendi), omnes tamen supponunt, ut fundamentalem, rationem illam quæ ex libertate sumitur; permittit enim Deus peccata ne libertatem tollat, aut usum ejus impediat, aut liget. Et hac ratione defendit innocentiam Dei in permittendis peccatis D. Thomas, in 1, d. 47, q. 1, art. 2, ad 4. Et ibi Doctores communiter, et Cajetanus, 1 p., q. 22, art. 2, ad 2; estque necessario supponenda, ut aliæ locum habeant, quia alias non uteretur Deus peccatis tanquam occasionibus benefaciendi, sed tanquam mediis per se volitis propter tales fines, quod est a divina bonitate alienum; non enim sunt facienda mala ut inde eveniant bona, teste Paulo. Illa autem ratio destruitur juxta illam sententiam; quod ita ostendo, nam vel prædeterminatio tollit libertatem, vel non tollit. Primum non dicitur, et licet diceretur, eo ipso permissio in prædeterminatione fundata non esset libertatis conservatio, sed destructio. Si autem prædeterminatio non tollit libertatem, Deus, prædeterminando semper voluntatem ad bonum prosequendum, et malum fugiendum, non magis ejus tolleret libertatem, quam prædeterminando illam ad malum volendum; ergo talis prædeterminatio, vel permissio in ea fundata, non potest vere excusari aut honestari ex ratione libertatis conservandæ. Simileque argumentum sumitur ex ratione, quæ a munere causæ primæ cum omnibus concurrentis dari solet. Nam si concursus generalis incipit a prædeterminatione, æque satisfaceret Deus suo muneri determinando voluntatem